



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. An præter animam in viventibus sensitivis sentur formæ
partiales Substantiales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

LV. Respondeo D. Thomam ibi non loqui absolute, sed ex hypothesi veritatis huius principii, *Opera vite non possunt esse à principio extrinseco, sicut sentire, nutrirī & augeri*; communiter recepti, ut consideranti patebit principium 2ⁱ. art. citati in corpore; illud autem principium refellemus infra.

Q V Æ S T I V N C V L A.

LVI. **P** Etes à qua causa fiat contorsio membrorum, & contractio nervorum, post mortem hominis?

LVII. Respondeo fieri ab anima hominis recedente, per motum post ipsam perseverantem, pro

quo vide lib. 2. Physicor. ubi ostendimus causam agere, quando non est; vel si tibi id mirum videatur, dic ibi animam loco-motivā produci, partim à dispositionibus ad illam sufficientibus remanentibus, partim ab illis causis à quibus produci diximus animas ranarū & murium ex putri materia, & paulò post expulsas ad eam dispositionibus cessare. Idem dic de anima vegetativa existente in pilis hominis post mortem: unde mors non est privatio omnis vitæ, sed vitæ in actu primo, à qua quidpiam principaliter est tale, ut est anima rationalis in homine, irrationalis in bruto, anima non sensitiva positiva in plantis, &c.

DISPUTATIO SECUNDA

De Anima in Ordine ad Subjectum.

I. **C** onstat omnibus animam esse formam informantem corpus organicum, & non assistentem tantum instar navis, aut angeli Cælis, quos moveat. Id enim definitur in Concilio Viennensi *de Summa Trinitate ac fide Catholica*, & Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. sed dubium est, quid per *corpus organicum* intelligi debeat, an materia affecta variis accidentibus? an materia affecta formis partialibus substantialibus, carnis, ossis, nervi, &c. Pro quo, fit

D V B I V M I.

An præter animam in viventibus sensitivis dantur formæ partiales Substantiales.

II. **C** irca hoc dubium, in duas sententias divisi sunt auctores; aliqui negant formas illas substantiales, & dicunt corpus organicum nihil aliud esse, quam materiam primam instructam his, vel illis accidentibus, puta duritie, mollietie, &c. unde consequenter volunt partes corporis viventis esse substantialiter homogeneas, & non nisi accidentaliter heterogeneas: alii dicunt & affirmant corpus organicum esse materiam primam instructam diversis formis substantialibus partialibus formæ totali viventium subordinatis. Pro quo, fit

R E S O L U T I O.

III. **D** ico præter animam, in viventibus sensitivis, non dantur formæ substantiales partiales.

IV. Probatur 1^o, auctoritate D. Thomæ 1. p. q. 6. art. 4^o. *Dicendum est, quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva. Et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam & nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quicquid inferiores formæ in aliis faciunt.* Ergo, &c.

V. Probatur 2^o, quia alioqui omnes formæ totales substantiales inanimatorum, ut arborum, ac plantarum, essent superflue; nullæ homogeneæ & simplices; sed omnes heterogeneæ, essentialiter compositæ ex partialibus correspondentibus heterogeneitati & compositioni suarum dispositionum: si enim in brutis, & in homine, dispositionibus heterogeneis & compositis correspondeant formæ substantiales partiales heterogeneæ, & una per aggre-

gatione cōflata ex illis, quæ sit forma corporis organici, quidni in plantis & aliis corporeis inanimatis dabuntur formæ partiales substantiales dispositionibus heterogeneis & compositis correspondentibus & una per aggregationem cōflata ex illis? quo casu totales sunt superflue, ergo, &c. Probatur minor, quia sic non essent ens per se substantiale totale ut consideranti patebit, ergo, &c.

VI. Confirmatur 1^o, dantur formæ substantiales totales aptæ informare subjectum accidentaliter heterogeneum; ergo omnino superflue sunt formæ partiales substantiales. Antecedens patet, quia tales sunt formæ plantarum & inanimatorum &c. ut fiunt adversarii. Probatur consequentia, illæ formæ substantiales totales facile præstarent, quod illæ partiales præstarent; ergo, &c.

VII. Confirmatur 2^o, nulla ratio videtur efficaciter suadere dari formas substantiales totales, ut patet ex lib. 1^o. Physicor. Disput. 3. Dub. 1^o. ergo multò minus aliqua ratio suadet dari partiales, ut solutione argumentorum patebit.

VIII. Obijcies 1^o, Rejectis formis partialibus ægrè explicatur, quidnam sit corpus, quod ponitur vi verborum in Eucharistiæ Sacramento; quia cum juxta Concilia & SS. Patres corpus Christi, ibi ponatur per transubstantiationem, in esse corporis debet esse substantia. 2^o Quid sit corpus, quod est subjectum animæ; vel enim illud est materia prima sola? & hoc dici non potest; quia alioqui æque constaret corpore ac homo; vel est materia instructa diversis accidentibus? & hoc etiam dici non potest; quia alioqui, cum corpus sit de essentia hominis, illa accidentia essent etiam de essentia hominis. 3^o, quid sit cadaver. 4^o, quare potius lapis constituitur per formam substantialem, quam os, caro, &c.

IX. Respondeo ad primum, quod vi verborum in Eucharistia ponitur, esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus, eo tamen non obstante, ibi poni per transubstantiationem; quia materia, quæ est nobilior pars corporis, est substantia: à nobiliori autem parte, conversio ibi dicitur transubstantiatio; quia à nobiliori parte sumitur denominatio. Hinc ad secundum

X. Respondeo corpus quod est subjectum animæ esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus; hæc tamen accidentia non esse de essentia hominis; quia, cum dicitur ho-

RESOLUTIO I.

mo essentialiter constare corpore & anima, non est sumendum corpus adæquatè, sed inadæquatè pro sola materia prima; nam sicut optimè intelligitur adæquatè essentialiter constitui ex materia prima & forma tali, quamquam nullus diceret constitutum ex materia prima instructa solis accidentibus mellis v.g. aut lactis, & formâ lapidis esse lapidem: ita optimè intelligitur hominem adæquatè essentialiter constitui ex materia prima & anima rationali, quamquam nullus diceret constitutum ex materia prima instructa solis accidentibus lapidis esse hominem: undè, vel dicendum corpus inadæquatè tantum esse de essentia hominis, vel accidentia lapidis, & cujuslibet alterius compositi animati, ingredi eorum essentiam, quod nullus dixerit.

XI. Adde tamen, accidentia illa organica non esse de essentia corporis hominis, vel etiam hominis, non obscurè colligi ex D. Augustino q. 802. in Exodum: *Si enim illud informe puerperium, jam quidem fuerit, quod adhuc quodammodo informiter animatum, idcirco lex voluit ad homicidium pertinere, quia nondum potest dici (puta quoad nos) anima viva in eo corpore, quod vitâ (supple secundâ) caret, si talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita: ubi vides Augustinum dubitare, an non sit homo, ubi anima rationalis animat materiam informem.* Clarius adhuc Hieronymus q. 4. ad Algasum: *Semina paulatim formantur in utero, & tandem non reputatur homo (nota non dici non est, sed non reputatur) donec elementa confecta, suas imagines, membraque suscipiant.*

XII. Ad 3^{um} Respondeo, vel cadaver esse compositum ex corpore organico, & formâ cadavericâ animæ animalium sensitivæ cœvâ, ut lignum est compositum ex materia organica arborum, & formâ lignicâ cœvâ animæ arborum vegetativæ, ut insinuavimus lib. I. Physicor. Tract. I. Disputat. 3. Dub. 3. n. 83. vel nihil aliud esse præter animam organizatam sub privatione animæ sensitivæ post mortem existentem sine omni forma substantiali, saltem distinctâ à substantia materiæ: unde juxta communem receptionem, cadaver dicitur à cadendo; quia corpus animâ vacuum statim cadit.

XIII. Ad 4^{um} Respondeo difficilius responderi posse, quàm putetur: Si enim præcisè listas in ratione, dic, nec in lapide, nec in ossè, carne, nervis, &c. dari formam substantialem, de quo nos lib. I. Physic. Disp. 3. Dub. 10. Si verò in Philosophorum auctoritate, in quolibet ente completo substantiali materiali agnoscente compositionem ex materia & forma substantiali, dic ob illam auctoritatem te in lapide agnoscere formam substantialem, in homine animam rationalem, non verò in ossè formam partialem ossis, in carne formam partialem carnis; quia, sicut in lapide ob varia accidentia & dispositiones, quas in diversis partibus habet; sunt superfusæ formæ partiales, ita & in homine, ob varia accidentia & dispositiones, quas habet in diversis partibus.

D V B I V M II.

Quæ Partes sint Animata?

ANte Resolutionem

XIV. Suppono partes esse duplicis generis, similes aliquas, sive homogeneas, ut caro, os, &c. aliquas dissimiles sive heterogeneas, ut sunt caput, oculi. Hoc supposito, sit

XV. **D**Ico 1^o, omnes partes corporis, sive similes, sive dissimiles, quæ aliquam operationem vitalem exercent, aut quæ cum illis sunt continuæ, animantur animâ totius, & ita quidem, ut, si indivisibilis, tota totum, & tota quamlibet partem animet; si verò divisibilis, tota totum & pars partem.

XVI. Probatur, quia non est ratio, cur potius sit in vertice juxta Zenocratem, quàm in cerebro juxta Hippocratem: vel etiam, cur potius in solo & toto pectore secundum Epicurum, quàm in corde juxta Stoicos, & sic de aliis partibus, ergo, &c. consequentia patet. Probatur antecedens, quia tota ratio, quæ ad ferri potest, est, quòd in tali parte habeat istam præcipuam operationem, & non in aliis: Sed hæc nulla est: ergo, &c. Probatur hæc minor. 1^o, quia alioqui anima hominis, neq; in capite, neq; in pectore aut pede esset; quia in nulla ex illis partibus præcisè habet rationationem præcipuam suam operationem, sed in toto; undè rectè dicitur homo rationatur, non verò caput, aut pes. 2^o, quia anima potest exercere diversas operationes vitales, & cum sit æquè apta exercere minis præcipuas, ac præcipuas, non est cur potius dicatur habere sedem in ea parte, in qua exercet minis præcipuas, præsertim cum communis dicatur actus vitales esse suo principio immanentes, quales alioqui non essent: ergo, &c.

XVII. Dices fortè, cur igitur moritur homo, bos, &c. ad abscissionem capitis, potius quàm ad abscissionem pedis, aut alterius partis?

XVIII. Resp. quia cæteræ operationes in nonnullis animalibus exerceri non possunt sine spiritibus vitalibus in capite receptis, & à corde ad reliquas partes corporis transmittendis; ex quo patet vitam nostram majorem ab una parte, quàm ab aliis habere dependentiam; ac proinde, cum Aristoteles libro de animalium motu dixit, animam non esse in omni corporis parte, sed in aliqua præcipua, non egit de esse existentia, sed de esse dependentia, ita ut in animando non pendeat ab omni parte corporis, sed ab aliqua præcipua. Ex his

XIX. Collige partes corporis vivetis similes, ut sūt ossa, cartilagines, caro, nervi, fibræ, arteriæ, venæ, pelliculæ, &c. & dissimiles ut radices, rami, cortices, folia, flores, fructus, &c. animari animâ totius: de dentibus verò non satis convenit, puto tamè illos ossibus annumerandos; nec, si velles animari tantum animâ vegetativâ secundum partem in ore exercentem, & sensitivâ secundum radiculos, fibras, & nervos in gingiva existentes, non multum tecum contenderem; nec ullus putem, qui aliquando acutos dentium dolores senserit. Quòd verò Galenus lib. de ossibus ait, se dolorem in substantia dentis sensisse distinctum à dolore in nervo & gingiva, cum sit intima radicularum istorum, fibrarum & nervorum cum dentibus conjunctio, & quidem talis, ut intra ferè usque ad summum, dentem repleant, id valdè dubium est. Vnde patet quòd dentes omnino continentur cum partibus corporis sine dubio animatis.